

tem sexdecim annorum, si in Clericis recipiatur: Laicus vero non debet esse infra vigesimum, nec supra trigimum ibidem. Dicitur autem notanter in Conclusione ad Novitatum; quia alia ratione v. g. ut ibidem bene educatur etiam ante annos pubertatis ipsimet impuberes ingredi, & a parentibus offerri possunt juxta dicenda infra.

69 II. Requiritur, ut quis sit liber, & non servus. Communis ac certa, arg. can. fin. cau. 17. q. 2. & can. Qui verè. 12. cau. 16. q. 1. ibi: Neminem servorum suscipi in Monasterium, nisi cum domini proprii licentia. Idem requiritur Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis n. 72. 82. referendis.

70 III. Debet esse rationis bene compos, nam mente captus, aut furiosus recipi nequit, arg. c. Sicut tenor. 15. h. t. ubi etiam ratio iungitur illis verbis: Cum alienatus non sentiat, & per hoc non valeat consentire.

71 IV. Requiritur, ut suscipiendus non sit infamis, ita statim Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. Ratio est; quia infames, de Jure sunt irregulares, & repelluntur à statu Clericali seculari, can. Omnes. 2. & can. Infames. 17. cau. 6. q. 1. ergo multò magis repellendi sunt à statu Regulari: cum hic sit perfectior illo, arg. can. 1. cau. 19. q. 1. Ex quo inferitur, licet carnifices, histiones, ac similes viles personas recipi in Ordinem non posse, eò quòd tales de Jure pro infamibus habeantur, L. 2. §. Aut pretor. ff. de His, qui notantur infamia, & l. Mater. 10. §. fin. ff. ad L. Juliam de Adult. vide Hyacinth. Donatus Tom. 2. tr. 3. q. 1. & 2. Joan. Andream Panormitanum in c. Decorem. 19. de vita & honest. Clericor. Vignati aliz species infamiz enumerantur can. Infames. 17. cau. 6. q. 1.

72 V. Requiritur, ne suscipiendus sit obnoxius rationis sive publicis, sive privatis; nisi prius à ratiocinio dignoscatur absolutus. Rursus communis ac certa, textu expresso can. 1. dist. 53. ibi: Qui ratiocinii publicis sunt obligati, si Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius à ratiociniis absoluti fuerint. & Constitutione Sixti V. Cum de omnibus, apud Cherub. Tom. 2. Constit. 7. dicti Pontificis, & Clementis VIII. Regularis disciplina, Tom. 4. Constit. dicti Pontificis, qui indistinctè, ac universaliter prohibendè, ne reddentis ratiociniis obnoxii & obligati reculantur. Est autem Ratiocinium redditio rationis consurgens ex administratione rei publicæ, vel private. Obligati ad ratiocinia publica sunt Officiales Administratorii rerum ad rem publicam pertinentium, arg. l. Officiales. C. de Episc. & Cleric. Obligati ad ratiocinia privata sunt Administratores rerum privatarum, putà, Tutores, Procuratores, Actores, Executores Testamentorum &c. arg. c. un. de Obligat. ad ratiocinia. Rationem dat Sixtus V. quia, si tales susciperentur, facile cedere possent in Religionis opprobrium, in Dei offensam, & scandalum plurimorum: item quia his & molestia ita obnoxii jam est illata, vel timendum est, ne inferatur.

73 VI. Non debet esse nimis gravatus ere alieno; talis enim nisi prius solvat, suscipi non potest: ita citate Constitutiones Sixti V. & Clementis VIII. docentque omnes. Ratio est; quia ingressus ad Religionem est tantum consilii, solutio debitorum autem de præcepto, quod ob opus consilii negligi non potest: Quòd si debitor est solvendo, & non solvit, sufficientem tamen cautionem reddidit creditori per pignus, aut hypothecam super bona sua immobilia, suscipi potest, Pelliz. Tr. 2. cap. 4. n. 46. Hyacinth. Donatus lo. cit. q. 13. & communis aliorum. Pariter ab ingressu in Religionem impeditur nequit debitor, qui non amplius est solvendo, dummodò

in favorem creditoris cedat bonis suis, si quæ habet. D. Thomas 2. 2. q. 189. d. 6. ad 3. Miranda Tom. 1. q. 17. a. 7. Pelliz. lo. cit. n. 26. Donatus lo. cit. Ratio est: tum quia ad impossibile nemo tenetur, l. Impossibile. 145. ff. de Reg. Jur. Tum quia inanis est exactio creditoris, quam inopia debitoris excludit exceptio, c. n. 1. cau. 14. q. 6. & l. Nam is, ff. de Dolo. Limitant quidem hoc aliqui in casu, quo debitor pollet arte, & viribus, quibus bona acquirere, & per acquista solvere potest. Donatus lo. cit. Roderiquez Tom. 3. q. 10. a. 9. & alii. Vtùm hæc limitatio probabiliter non est attendenda, eò quòd propter pecuniam persona liberi hominis secundum Jura non obligatur, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem estimationem pecunie, uti lo. cit. bene observat D. Thomas, & docet cum aliis Pelliz. lo. cit. Illud certum & ab omnibus concessum est, quòd debitor debito non soluto suscipi valeat, si creditor consentiat; quia scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus. c. Scienti. de R. J. in 6.

VII. Suscipi non possunt corpore multum vitiat, aut deformes: quales sunt cæci, muti, furdi, deformiter claudi, aut gibbosi, vel alio notabili corporis defectu laborantes. Hyacinth. Donatus lo. cit. q. 26. & alii, arg. toto Tit. de Corpore vitiat; cum enim ibidem corpore vitiat repelluntur ab Ordinibus, & statu Clericali seculari; multò magis arceudi erunt à statu Regulari, nptote perfectiore illo. Huc Doctores communiter reducunt lepra, morbo caduco, aut gallico effectus; item omnes ita infirmos aut debiles, ut onera Religionis portare, aut munera ejus obire non valeant. Pelliz. lo. cit. q. 25. D. Thomas 2. 2. q. 189. a. 10. & alii. Ratio est; quia turpis est pars, quæ non congruit suo toti, quod fieret in simili casu.

VIII. Suscipi nequit Hermaphroditus, id est, qui partim maris, partim feminæ sexum præ se fert. Hyacinth. lo. cit. q. 27. arg. can. 1. dist. 26. Ratio est: tum quia & talis corpore vitiat est: tum quia aliis scandalum & offendiculum præbere possit.

IX. Recipi in Religionem nequit Episcopus sine licentia Papæ. Communis ac certa, arg. c. Licet quibusdam. 18. h. t. & c. Inter corporalia. 2. de Translat. Episc. juncto c. Nisi. 10. de Renuntiat. Ratio est; quia status Episcopalis est perfectior statu Religioso. Solet autem Papa concedere licentiam, si una ex sequentibus adfit causis, quæ ponuntur in Summario cit. c. 10. de Renuntiat. sequentibus versiculis, si videlicet Episcopus est

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis, Quem mala plebs odit, & dans scandala, cedere possit.

X. Suscipi in Religionem nequit, cujus parentes jam actu sunt, vel ingrediente filio brevi erunt in gravi vel extrema necessitate, supposito, quòd in sæculo manens, à tali necessitate esse liberare, vel præcavere possit, ita cum D. Thomas, Miranda tom. 1. q. 17. a. 8. Roderiq. tom. 3. q. 13. a. 5. Donat. lo. cit. q. 2. & communis aliorum, arg. can. 1. dist. 30. ibi: Si qui filii parentes maximè fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc justum esse judicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venererunt, quòd fideles sunt, anathema sit. Concordat Constitutio Clementis VIII. in Bulla num. 72. citata, ubi §. Demum, inter alia præcipitur, ut sedulo inquiratur, an recipiendorum parentes ope & subsidio eorum indigentes destituantur. Ratio est; quia propter opus consilii, quale est ingredi Religionem, omitti non potest opus præcepti, quale est in necessitate præstata succurrere parentibus; cum non sint facienda mala, ut

eveniant bona juxta Apostolum ad Rom. 3. Unde Christus in simili causa Pharisæos contrarium docentes reprehendit Math. 15. illis verbis: Quicumque dixerit, manus quodcumque ex me est, & matrem suam, & non honorificabit patrem suum, & matrem suam &c. Dicitur notanter in gravi necessitate; quia si modica est, vel timet parentum necessitas, non tenentur in sæculo manere liberi; prout communis cum D. Thoma 2. 2. q. 189. a. 6. rationem dante; quia filii non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis gravis. Pariter Religionem intrare possunt, si remanendo in sæculo parentes à gravi necessitate liberare nequeunt; quia tunc cessat ratio obligationis. Rursus non obstante parentum necessitate licet Religionem intrant liberi, si parentes inducant illos ad malum & peccandum: vel si absque horum inductione, ipsimet sine gravi periculo animæ in sæculo remanere non possent. D. Thomas ubi supra q. 101. a. 4. Miranda lo. cit. Donatus lo. cit. & communis aliorum. Ratio est; quia ordo charitatis exigit, ut quis salutem propriam spiritualem præponat parentum bono temporali. Faciunt hæc verba Christi Lucæ 14. Si quis non odit patrem suum & matrem suam &c. non potest meus esse discipulus. Item illud Math. 8. & Lucæ 9. ubi Christus reprehendit quemdam nolentem statim sequi intuitu paternæ sepulture: sinitè mortuos, sepeleire mortuos suos.

Et ex his patet ad Quæstionem, quam alii faciunt, an liceat liberis invitis parentibus Religionem ingredi? licet nempe, nisi parentes exinde patiantur gravem necessitatem. Ratio ulterior est; quia ad eligendum statum non est necessarius consensus parentum, claris Juribus can. 2. cau. 20. q. 2. &c. Cum virum. 12. h. t. ibi: Tunc enim quia liberum habet propositum in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem: præsertim ubi divina urget vocatio. Nec curandæ sunt lamentationes, aut minæ parentum, sed potius fortiter contemnendæ, juxta consilium D. Hieronymi in Epist. 1. ad Heliod. Per calcium perge patrem, per calciam perge matrem, ad vexillum crucis evola. Nam summum genus pietatis est, in hæc fuisse crudelem. Illud etiam cum Roderiquez Tom. 3. q. 13. a. 5. Miranda Tom. 1. q. 17. a. 8. concl. 4. Navar. lib. 3. consil. de Regul. consil. 26. Donat. lo. cit. q. 20. Barbosa lib. 1. Jur. Eccles. univ. cap. 42. nu. 20. in fine, & aliis notandum, quòd etiam proles ablenite propriæ animæ periculo Religionem ingrediens, relicto parente in gravi necessitate peccet graviter, Professio tamen subsecuta sit valida. Ratio est; quia nullo jure irrita, sed tantum illicita declaratur.

XI. Recipi nequit criminosus, præsertim qui homicidium, furtum, latrocinium, vel alia similia, aut graviora crimina commisit, aut de iis suspectus existit, uti expressè statuit Sixtus V. in citata Bulla, Cum de omnibus, & confirmavit Clemens VIII. in citata Bulla, Cum ad Regularem.

Concèta, quæ de necessarii qualitatibus recipiendorum dicta sunt, etiam in statutis nostris generalibus sunt præscripta, uti videre est cap. 2. §. 1. ubi insuper requiritur. I. Ut filii legitime nati. II. Habere sexdecim saltem annos. III. Sacramento Confirmationis muniti. IV. Latinam linguam perfecte intelligentes. V. Non dependentes, vel originem trahentes usque ad quartam generationem ab Hebræis Mauris, vel Hæreticis. VI. Non banniti, non condemnati. VII. Singulis ante habitus receptionem protestetur, quòd si lepra, morbo gallico, aut caduco, aut aliâ contagiosa infirmitate laboraverint, & ante Professionem id ipsum celaverint, eorum receptio, ac etiam professio nulla censetur. Proteste-

tur etiam esselem, quòd si aliqua ex supra dictis conditionibus (etiam illis, de quibus à numer. 63.) sibi d. fuerit, aut inhabiles existerint, statim expelluntur, & ad professionem nullatenus admittuntur, quæ protestationes in libro ad hunc usum deputato annotentur, quibus Superiores & Discreti una cum ipsis propriâ manu se subscribunt. Ita statuta generalia lo. cit.

Quæritur II. An circa qualitates de Jure com-82 muni, & Constitutionibus Pontificis requisitas, necessario fieri debeat indagatio, seu informatio, antequam suscipiatur quis ad Religionem? Resp. Affirmativè, nisi aliunde jam de aliquibus conditionibus satis, ac notoriè constet. Miranda Tom. 1. q. 21. a. 2. Hyacinth. Donatus. Tom. 2. Tract. 4. q. 1. & seq. Pelliz. tom. 1. tr. 2. cap. 3. Roderiquez & alii. Patetque ex Constitutione Sixti V. Cum de omnibus, apud Cherub. Constit. 71. ejusdem, & Clementis VIII. Cum ad Regularem. in bull. Cherub. Constit. 26. dicti Pontificis, ibi: Quod ainet ad recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, que habenda erit de universisque natalibus, corporis habitudine, moribus, & viâ ante actâ, ac præcipue eorum, qui sexum decimum ætatis annum exceperint, an criminosi, an ere alieno gravati, vel rediens alicujus administrationis rationi obnoxii sint, juxta formam Constitutionis Sixti V. & Moderationem subsecuturam. Illud Superiores sedulo perquirant, ut ad Religionem nullus imposterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, summorumque Pontificum Constitutionibus præscriptas non habeat. Verba autem Constitutionis Sixti V. Pontificis ita sonant:

Ceterum quoniam sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, ac multi doctores diligenter vitam rem familiarem, & contrariam postmodum vitiis alieni, aut interversam alienam pecuniam eorum fidei creditam, ut ratiocinia effugiant, alii post furti, latrocinia, & rapinas, homicidia, atque facinorosa perpetrata, etiam banniti, & damnati, seu qui meritis pro suis delictis penas meruerunt, non pia intentione, sed ad evitandum Legum, & judiciorum severitatem, quia ruto in sæculo vivere non possent, tunc demum quærent ad Religionem auxiliium, quando aliunde non sperant; unde sub habitu, & nomine Religiosorum animam Religionis inimicum, & inveterata vitia retinent, neque alios, qui sanctâ vocatione vocati sunt, pariuntur tranquillè divinis obsequiis insistere, in gravem Dei offensam, Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum; ut his quoque subterfugii, & impunitatis spes omnis tollatur, auctoritate Apostolica perpetuo statuimus juvenes, aut viros adultos majores sexdecim annis, non aliter in Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patribus, ante actâ vitâ, & moribus diligenter perquiratur, & exactè informatio, & fide dignè compertum, & exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furti, latrocinia, & alia similia, aut graviora, reos, vel suspectos existere, ut propterè damnati sint, aut ne damnentur, formidant, neque ingenti ere alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddentis ratiociniis ita obnoxios, ut ex injusmodi causa his, vel molestia jam illata, vel timendum sit, ne inferatur, ipsos non humana aliqua ratione, sed cum devotionis, & pietatis fervore, vitam Religiosam sponte, & ex animo elegiss. &c. Omnes autem, ut dictum est, criminosos, vel suspectos, vel ere alieno, vel ratiociniis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus.

Porro, quamvis Sixtus V. in eadem Bulla sta-83 tim subjunget, quòd si quis contra tenorem suæ Constitutionis susciperetur, tam suscipiendum habitus, quam professionem, & exinde secuta ex tunc prout